



OThinus tota ferè Europa ob plurimarū artiū cognitionem falsò diuinitatis titulo ornatus fuit, Anno mundi 2970. Is crebriorem diuersandi usum apud Vpsalā habuit, eamq; siue ob incolarum inertiam, siue locorum amoenitatē, singulari quadam habitationis consuetudine dignabatur. Huius numen Septentrionis reges propensiore cultu prosequi cupientes, effigiem ipsius aureo cōplexissimum lachro, statuā dignitatis eius indicē, maxima cū religionis simulatione, Bizantiū transmiserunt. cuius etiā brachiorum lineamenta confertissimo armillarum pondere perstringebant. Ille tanta sui celebriitate gauisus mittentiū charitatē cupide exoscultatus est. Huius coniunx Frigga, quō cultior progredi posset, a scitis fabris aurū statuæ detrahendū curauit. Verūm Othinus ihs suspendio consumptis, statuam in crepidine collocauit, atq; eā mira artis industria ad humanos tactus uocalē reddidit. Verūm Frigga cultus sui nitorē mariti honoribus præponēs, uni familiariū se stupro subiecit, & eius ingenio simulachrū demolita, aurū publicē superstitioni consecratū, ad priuati luxus instrumentū conuertit. Igitur Othinus imaginis suæ sublatione & chorū uiolatione læsus, plenū ingenui pudoris exilium carpsit, eoq; se contracti dedecoris fordes aboliturum sperauit.